

UIRI CL.

**P. FRANCISCI MALE-
BRANCHII**

CONGREGATIONIS ORATORII
PRESBYTERI,

ENTHUSIASMVM

SVB
PRAESIDIO


IO. GEORGII PRITII,

SS. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS
PVBLICI, ATQVE HOC TEMPORE FACVL-
TATIS THEOLOGICAE DECANI,
EXCVSSVM ET REPROBAYVM

DISPVTAZIONE PVBLICA
PROPONIT

DIE XXX. DEC. A. O. R. cl^o l^o CCX.

IO. ADAM. FICKVVEILER VS,
CVRIA VARISCVS.


GRYPHISVVALDIAE,

TYPIS DANIELIS BENIAMINIS STARCKII,
REG. ACAD. TYPOGR.

3. a. XCl. 13.

III. diss. A
13

VIRO INTEGERRIMO,
IO. VVOLFANGO
FICKVVEILERO,
Bibliopolae apud Hamburgenses
florentissimo,

Fratri germano carissimo,

S. P. D.

Io. ADAMVS FICKVVEILERS.

Certum est, Frater carissime, a veritatis tramite haud procul aberrare illud, quod poëtarum gentilium post paucos facile princeps, Ovidius cecinit: *Fratrium quoque gratia rara est.* Sane experientia teste non possunt non effato huic poëtae album, vt dicunt, adicere calculum, qui fucatum subinde sentiunt amicorum putatiorum ac fratrum amorem. Ast longe abest a nobis haec, quae in aliis frequenter conspicitur, animorum disiunctio: quum sincerus amor, quo alter alterum prosequimur, vtrique perspectus satis atque cognitus sit. Equidem mihi tot praeclara in me collata a te beneficia indicio facile esse possunt fraterni tui aduersus me immo paterni adfectus: nam quid fratrem te ego compello? quum certe ambiguum sit mihi, vtrum fratris, an patris nomine potius maectandus mihi venias, quum senis nostri, parentis puta optimi, alba nunc canitie corona superbientis vices, in me iuuando atque alendo iam dudum quam fidelissime expleueris. Iam quid mei sit officii, haud difficulter intelligo, scilicet vt mutuo amore adfectum tuum compensem, gratumque me tibi exhibeam. Cuius rei memor non dubitavi, in gratitudinis tesseram hanc, quam vides, dissertationem academicam tibi dicare, carissimoque tuo nomini inscribere. Ceterum supplex Deum veneror, vt diu multumque te saluum atque incolumem seruare, ac omnis generis benedictionem largissima manu in te effundere dignetur. Vale & perge me amare.

Gryphiswaldiac Pomeranorum, d. XXIX. Decembr. clo 10 CCX.





CUM DEO.

Ad Lectorem.



Inter ingenia, saeculum nostrum
tum iudicii acumine, tum disserendi
elegantia, tum variis scriptis subtilis-
simis illustrantia, suo praesertim iure
referri potest P. Franciscus Malebran-
chius, Oratorii, quod Lutetiae Parisi-
orum est, presbyter celeberrimus. In-
ter illa vero, quibus nominis hanc cele-
britatem sibi peperit, liber eius, quem
de inquirenda veritate condidit, excellentissimus, primo mere-
tur collocari loco, non saltem, quod plerosque alios, quos in lucem
publicam euulgavit, praeuerterit; sed quod & argumenti prae-
stantia se quam maxime orbi erudito commendauerit. Unde
toties & in Gallia & Belgio recusus, quin etiam ex Gallica lingua,
in qua eum edidit primum auctor, in Latinam conuersus, &
Geneuae litteris impressus fuit. Neque vero rerum peritus nega-
verit, quin multa in opere hoc inueniantur exquisite bona, & ad
rei, de qua dicere ingressus erat, illustrationem egregie facien-
tia; praesertim ubi circa communes nonnullos errores, quibus
A 2 huma-

humanum genus plerumque sentitur esse obnoxium, eliminandos prostrigandosque sese occupat. Verum uti, quod ad rei summam pertinet, ipse haud felices successus ex suo opere sperare iubet in invenienda veritate lectores suos; ita eum huic sui ingenii foetui multum detraxisse pretii ingenua hac confessione quis dubitet? Quam enim in fronte statim libri errorem conquestus esset miseriae humanae esse causam, pessimumque principium, ex quo omnes, quae inter mortales irrepserunt, fluxerint aerumnae; de eo autem errore depellendo deinceps se esse acturum promississet: in fine tamen operis diserte ait, ista quae de veritate exposuisset, quum sint admodum laboriosa, & ut plurimum ad eas duntaxat quaestiones soluendas utiles, quarum usus est exiguus, quarumque notitia superbiam nostram aduletur magis & foueat, quam mentem vere perficiat; longe satius esse, ex christiana disciplina petere lumen, mentis nostrae tenebras discussurum. Quae certe conclusio spem in exordio operis lectoribus factam, plane euertit, totumque opus de inani opera coarguit. In ipso opere autem non minus occurrunt errores graues capitalesque, de quibus cum aliis grauisimae auctori fuerunt suscipiendae lites; inter quos eminent ille, qui fere totum eius systema peruadit, quod omnia nos videamus in Deo. Quod dogma quum ad latis ex sacra scriptura testimoniis confirmare voluerit, ipsum autem sit eius indolis, ut errores omnis generis alios progignat, atque in primis enthusiasmum secum ducat satis absonum; lubet illud inspicere proprius, & ostendere, nihil id habere in se veri, periculosum autem esse posse eidem adhaerescantibus. Cui instituto ut ex alto adsit sua benedictione diuinum Numen, deuote precamur.

I. Male-

DISSERTATIONIS SYNOPSIS.

I. Malebranchii sententia. II. Cum Malebranchio faciunt alii. III. Occasio, qua in hanc sententiam Malebranchius incidere. IV. Malebranchii sententia nihil opus fuisse. V. De origine sententiae Malebranchianae coniecturae. VI. Malebranchii sententiam refutarunt iam nonnulli philosophi. VII. Sententiam Malebranchii usque nos docere. VIII. Malebranchii sententia est contra expressa scripturae testimonia; e veteri testamento est contra Gen. VI, 5. VIII, 21. IX. Porro est contra Coh. VII, 29. X. Est contra Ies. LV, 8. 9. XI. Est contra testimonia novi testamenti, Rom. I, 21. VIII, 7. Col. I, 21. Eph. IV, 17. 18. XII. Malebranchio ex scriptura nihil esse praesidii: vindicantur loca I. Cor. V, 5. Iac. I, 17. XIII. Vtterius vindicantur Psal. XCIV, 10. Io. I, 9. XIV. Malebranchii sententia est contra simplicitatem Dei. XV. Malebranchii sententia est contra perfectiones Dei. XVI. Sententia Malebranchii ducere potest ad idololatriam, Spinosismum & atheismum. XVII. Malebranchii sententia aperte enthysiasmum fovet.

I.



T Malebranchii mentem recte percipiamus, lectoribusque nostris sincere proponamus, ipsius hac de re verba consulenda & adscribenda hic sunt. In illo igitur volumine, quod de inquirenda veritate inscripsit, hunc capiti VI libri III dedit titulum: *Nos omnia in Deo videre, & deinde in ipsa tractatione hanc suam sententiam pluribus explicat; ita enim inquit, ut verba eius in Latinum conuertit interpres: Necessesse est, Deum in se habere ideas omnium entium, quae creauit, cum alioqui ea non potuisset producere, ac illum proinde videre omnia illa entia, considerando perfectiones, quas includit in se, & ad quas extia illa referuntur. Sciendum est praeterea, Deum mentibus nostris praesentia sua arctissime vniri;*

adeo, ut Deus dici possit locus spirituum, quemadmodum spatium est locus corporum. His duobus praesuppositis certum est, mentem id posse videre, quod in Deo est, quod repraesentat entia creata; quum id sit maxime spirituale, intelligibile & menti praesentissimum. Mens itaque in Deo potest videre opera Dei, dummodo Deus velit ipsi retegere id, quod in se habet, quod illa repraesentat opera. Similia habet & alibi in suis operibus; Sic dialogo II in metaphysicam, in qua de existentia Dei agit, ostendere conatur, res omnes nos posse videre in Deo; ita & dial. IV Conuersat. christianarum, & in Responsione ad librum Antonii Arnaldi de veris & falsis ideis cap. XIII idem plane tentat, ut loca alia taceamus.

II.

II. Cum
Male-
branchio
faciunt
alii.

In eam autem sententiam pellexit alios plures; inter alios vero ex hominibus nostris patria lingua hanc sententiam repetiit expoliuitque vir generosus, VV.H. de Lüttichau in *Pansophia part. II cap. II § V.* Ex Gallis Malebranchium eatenus sequitur Bernhardus Lamy, vir non minus eruditissimus, in *Elementis primis scientiarum*, quae Gallice paucis abhinc annis prodierunt, dialogo VIII § VIII ut in genere quidem nullam se dubitationem fouere adfirmet, quin a Deo habeamus veras, quas possidemus, ideas omnes, siue simplices sint, siue complexae, nec dubitare se porro, quin in Deo istas videamus. Quum enim certum sit, ipsum nos videre Deum, dum statim ac infinitum aliquod nos animadvertimus, ut probasse se confidit; facile aliquem concipere, posse Deum efficere, ut in eo ea videantur omnia, quae ipsi monstrare nobis allubescit. Maxime itaque arridere sibi, addit, auctoris clarissimi systema, si verum esset,

esset, quod verum esse ille propugnat, reuera nos habere creaturarum operumque Dei ideas; sed quum illas non habeamus, vt opinatur P. Lamy, quid opus sit de rebus, quae non sunt, digladiari inuicem, & circa naturam & originem idearum disputare, quas non habemus? Ex quibus patet sane, Lamyum vltcrius adhuc, quam Malebranchium progredi, quum in ea sit opinione, humanam mentem nullam veram ideam vllius operis diuini possidere, quod & hoc in loco, & *De cognitione sui ipsius tom. II part. II cap. III* pluribus euincere conatur, de qua re dispiciant alii, ad quos ea res spectat propius; nobis enim nunc illa agenda, quae ad cathedram spectant theologiam.

III.

Nam ad Malebranchium referre se debet oratio nostra, cuius, nisi fallimur animi, mens huc redit, illas veritates ideasque rerum, non videri a nobis in rebus ipsis, neque in mente nostra, sed in Deo, immo ipsas rerum ideas esse Deum ipsum, diuinam esse essentiam atque substantiam; atque adeo quum extensionem contemplationi nostrae subiicimus, ab ipsa Dei essentia nos tangi & illuminari, esseque ipsam diuinam essentiam, quam contemplamur, quatenus a creaturis participatur. Hic operae pretium erit, dispicere, antequam pedem ad vltcriora promoueamus, qua occasione in cogitationes eiusmodi peregrinas, & a sententia reliquorum philosophorum & theologorum abhorrentes, inciderit; haec enim si recte nobis innotuerit, de universo negotio curatius pronuntiare poterimus. Quum itaque Malebranchius *lib. III de inquirenda veritate cap. I*

III. Occasio, qua in hanc sententiam Malebranchius incidit.

natu-

naturam atque indolem humani intellectus cognitionisque humanae paullo diligentius explanare vellet; ante omnia sciscit, res extra intellectum subsistentes, nisi animae intime iungi queant, atque adeo se contemplandas eidem immediate sistant, per ideas, quod est, imagines quasdam repraesentatitias, quae & a rebus percipiendis, & a perceptionis actu distinctae sint, cognoscendas esse. Sed unde nobis istae ideae obtingant, & qua via deuehantur ad intellectum nostrum, quum iam olim quaesitum sit a philosophis, ipse quinque omnino modis id fieri posse adseueranter docet Malebranchius. Aut enim statuendum esse, ait, a rebus obiectis emanare quasdam imagines, & ad intellectum transmitti; vel animam ipsam ex virtute quadam connata ideas producere; vel Deum eiusmodi icones aut repraesentationes cum anima creasse, aut ipsi eas, quum de re aliqua cogitat, suggerere; vel & animam in se habere perfectiones omnes, quas videat in corporibus illis, & adeo se intuendo rerum materialium naturas cognoscere; vel denique ipsam vnitam esse essentiae cuidam infinitae ac summe potenti, in qua entium creatorum quascumque perfectiones videat. Sed quum in capitibus subsequenibus, vt censet, ostendisset, quibus difficultatibus premantur viae quatuor priores, vtque rationes illae, quibus explicetur hoc de ideis negotium, minime omnium sufficiant attentius id consideranti, veram idearum causam, quam reliquarum ruinae superaedificat, comminiscitur esse visionem rerum omnium in Deo; quum fieri non possit, vt inueniatur alia melior. Non enim restare adfirmat aliam, *lib. III cap. VI* quam quintam illam, quae sola cum
ratione

ratione conueniat, & maxime sit idonea, ex qua cognoscere detur, quam dependentiam mentes nostrae a Deo in omnibus suis cogitationibus habeant.

IV.

Sed faciamus iam, Malebranchium euicisse, quod iactat, quatuor illas vias priores, quibus alii idearum naturam explicant, consistere non posse, an continuo verum est, quam ille delineat, esse rectiorem, & rectiorem dari non posse? Quanta vero est humanae mentis imbecillitas, quam exiguis terminis circumscribitur captus noster? Annon liceat tantum impetrare ab humana ambitione, vt fateatur, plurimas esse res, quibus plene comprehendendis non sit par intellectus humanus? nec Deum vlla teneri ratione, omnibus in rebus, circa quas ipse occupatur, illis insistere viis, quae nostrarum pateant scrutinio cogitationum, tamque arctos suae constituere potentiae limites, vt nihil agat, nisi quod intelligentia nos comprehendamus nostra? Annon vero huc quoque pertinet illud Pauli Rom. XI, 33, 34: *O altitudo diuitiarum & sapientiae & cognitionis DEI! quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viae eius? Quis enim cognouit mentem Domini? & quis consiliarius eius fuit?* Et vero parum proderit leuandae ignorantiae meae, hanc, quam ipse nobis commendat, meliorem esse hypothefibus quatuor, quas naeuis suis laborare nobis vult persuadere; si & ipsa haec nonnulla inuoluat, quae & cum semetipfa stare, & a me intelligi minime possunt.

IV. Malebranchii sententia nihil opus fuisse.

V.

Fallor vero, an in hanc eum sententiam deduxerit Pontificiorum de speculo Trinitatis commentum.

V. De origine sententiae

B

Quum

*Male-
branchia-
nae conse-
cturae.*

Quum enim inane esse ad sanctos adlegare preces, contra eosdem inde inferimus, quod illi preces ignorent nostras, *Ies. LXIII, 16*; aut si sciant, ipsos oporteat esse omniscios, ut omnium, qui per orbem sunt dispersi, preces diuersissimas simul intelligere possint; haud verecundantur statuere, sanctos electosque angelos omnia in speculo Trinitatis videre. Annon enim eadem ratione videant reliqua, quae sunt gerunturque in mundo? Et si Deus sanctis suis ex se ipso & in se ipso potest reuelare omnia, quidni & nobis, qui adhuc sumus in terra arctissime cum ipso copulati, contingant eadem? Sed ut illud Trinitatis speculum, quo Pontificii plerumque niti solent, non a nostris tantum, Io. Afielmanno *part. I Disputat. XXV § XVI p. 759, 760 seqq.* Io. Georgio Dorschaeo in *Pentadecade Disputat. consider. praeslim. § XXXIV*; sed inter Pontificios ipsos a Gabr. Vasquezio in *I part. Thom. tom. I Disput. L cap. 10* aliisque contractum est; ita non nisi ruinoso fundamento sententiam suam, qua tam laetanter sibi, tamquam recens inuento thesauro, adplaudit, superstruxerit. Aut, quid si dicamus, & ex male intellecto mysticorum theologorum dogmate, aut ex peruerso pseudomysticorum dogmate haec hausisse Malebranchium? Nam quum mystici doceant, animam hominis a sua immunditie liberati, lumineque diuino perfusi & illuminati peruenire demum in arctissimam cum Deo unionem, quid facilius homini pontificio, visiones, raptus, colloquia diuina, aliaque huius generis vel iactanti subinde, vel ab aliis iactata amplectenti & magni facienti, quam inde ulterius colligere, eum iam in Deo videre omnia; quamuis & sic falso ex mysticorum aliorum sententia intu-

intulerit. Nam ex illorum quidem traditis is, qui essentiam diuinam percipit, nullas plane formas creaturarum, & nil praeter merum Deum ineffabilem in illa videt; miraculosam fore eam cognitionem, quam Deus communicaret animae, perceptionem nostram non a sua essentia, sed ab ideis sui conceptus adficiendo. Vti & illud in ambiguo relinquimus, an forte ad philosophiam Platoniam, in qua ideae vtramque faciunt paginam, Pater noster oratorii hic respexerit. Quamvis si de mente Platonis ex Platonis probatoribus sit iudicandum, philosophus hic celeberrimus ideas, eo quod multitudinem quamdam & numerum prae se ferrent, non in Deo ipso, ente quippe simplicissimo, cum ad seclis suis collocaret, sed in mente a Deo proxima, quam & mundum intelligibilem vocabant, alicubi & filium Dei, item Deum secundum; qua de re praeter alios historiae philosophicae peritissimus agit Iac. Thomasius in *Dilucidationibus Stablian. ad disput. VI reg. VI n. 8.* Qua de re dispiciant alii amplius; quum nudam attulerimus coniecturam, quam a vero abluere posse, haudquaquam prae fracte negamus.

VI.

Quomodocumque vero se ista res habeat, & quicumque demum dux fuerit, quo in errorem praecepserit auctor noster, sententia haec, vti nouitate se commendare forsitan aliquibus posset, sic falsitatis inuoluit plurimum. Equidem habent hic multa philosophi, in quibus ingenium exercent suum; e quibus & pridem Anton. Arnauldus *Des vrayes & de fausses idées* chapit. XII. Petrus Poiretus in *Cogitat. Rational. lib. III continuatione cap. X*, & nuperrime Io. Lockius in *an Exami-*

VI. Malebranchii sententiam refutarunt iam nonnulli philosophi.

nation of Malebranch's opinion, quod opusculum paucos ante annos cum operibus Lockii posthumis Londini prodiit, solerter id praestitere; vti & recentius adhuc hoc ipso anno vir doctus, qui Basselinum se vocat, in *disertatione* peculiari, Gallice conscripta, *de origine idearum*, in qua probare adnititur contra Cartesium & Malebranchium, aliosque, ideas omnes a sensibus proficisci, parte priori fusius contra Malebranchium disputat; cuius quidem opusculi excerpta sistit Iac. Bernhardus *dans les Nouvelles de la republiq. des lettres Juin 1710. p. 669.* Ergo illis quidem, vt cum Malebranchio propius congregiantur, libenter permittimus, cum singulari animi voluptate lustraturi, vt virum ingeniosissimum, & pugnandi adprime peritum, suis exutum armis profligent. Quamquam Io. Clericus, vbi in *Pneumatolog. sect. I cap. V* mentionem facit eius contentionis, quae Malebranchio & Arnaldo hoc super argumento intercessit, tam multum ait sibi ipsos inuicem facecivisse negotii, & mutuis telis ita confessos ex certamine hoc abiisse, vt vter vicerit, haud forte constet; certe multis victores esse, vbi oppugnant aduersarium; victos, vbi se contra irruentem tueri conantur, visos esse. Nobis id saltem, quum ad declarationem eorum, quæ deinceps dicturi sumus, haud nihil faciat, contra Malebranchium vrgere nunc liceat, tanto ipsum adparatu ad veritatem rei ne minimum quidem profecisse.

VII.

VII. *Sententiam Malebranchii vbi nos*

Ostendere animum ceperat, qua via consequamur ideas rerum, quumque reliquas, quibus alii insistent philosophi, vt commodas minus reiecisset, de noua inuenienda est sollicitus; at quis non speret, Malebranchium

branchium solidiora, & magis euidentia esse adlaturum
 iis, quae tantopere fastidit & improbat? Quem tamen
 successum fortitus sit eius conatus, iudicabit facile, qui
 sententiam eius cum sententia aliorum conflare insti-
 tuit. Omittimus nunc aliorum doctrinam de speciebus,
 quam nescio an satis ita possint explicare, vt satisfaciat
 rem accuratius expendentibus, & ea vt intelligi recte
 possit. Sed quum dicimus, impressiones quasdam fieri
 radiis luminis in retina, motionesque inde continuari ad
 cerebrum, id quidem intelligi & concipi facile potest;
 iam addimus, notiones illas producere ideas in animis
 nostris, ratione quamuis, quae a nobis comprehendere
 non potest. Quid obstat vero, quo minus id resoluamus
 in vnum Dei sapientissimi, cuius viae nobis sunt inper-
 scrutabiles, beneplacitum? Certe videor mihi, rem
 aequae nosse, quum dicimus, motum spirituum ani-
 malium per legem a Deo stabilitam, has efformare
 ideas, quam si dicimus, eas ideas me videre in Deo.
 Numquid non sunt plurima in amplissimo naturae
 regno, circa quae rationes nostras melius expedire non
 possumus, quam si, quum rem ipsam habeamus cogni-
 tissimam, eius causam ad voluntatem Dei referamus;
 qui de hoc litem mouere nobis velit, aut id supinae
 negligentiae vel ignorantiae argumentum esse opine-
 tur, eum oramus, vt, quae Io. Christophorus Stur-
 mius, vir acutissimus, de *Obscuritate simplicium commen-*
tatur in Philosoph. eclectic. tom. II Disfert. VII cum cura per-
 legat, nec desperamus, quin in nostram sententiam e-
 vestigio sit concessurus. Iam si dicamus, Deum potuisse
 ita formare animas nostras, & ita easdem vniuisse cum
 corporibus nostris, vt ad certas motiones, rebus exter-

docere
 quod an-
 tea igno-
 rabamus

nis in corporibus nostris excitatas, anima habere debeat has vel illas perceptiones siue ideas, quamuis via, quae a nobis percipi non possit, nonne adparet, hanc aequae esse propositionem veram, quam quod Malebranchius tam audacter pronuntiat, ? Et quid habet hic, quod nobis opponat, ?

VIII.

VIII.
Malebranchii
sententia
est contra
expressam
scripturae
testimo-
nia; e ve-
teri testa-
mento est
contra
Gen. VI, 5.
VIII, 21.

Sunt vero nobis multa, quibus eius dogma possumus oppugnare, petita e scripturarum diuinarum monumentis. Sed nos pauca saltem, neruum tamen rei incidentia, confectemur. Ait scriptura, *vidisse Deum aliquo ante diluuium tempore, quod multiplicaretur malitia hominum in mundo; insuper quod omne figmentum cordis eius tantummodo malum sit omni die, Gen. VI, 5. & fere eadem sunt ipsius verba Dei, quum post diluuium promitteret, nolle se maledicere amplius terrae propter hominem, eo quod figmentum cordis hominis malum est a pueritia sua, Gen. VIII, 21.* Non est huius loci nec instituti nostri, cum pontificiis hic congregari, qui in explicandis his locis vehementer hallucinantur, vti ex Bellarmin. *lib. V de amissa gratia cap. XI § 21.* patet, quos, si quisquam, studiose refellit Seb. Schmidtius in *Colleg. Biblico priori loc. VIII p. 227.* illud vero euidens est, Malebranchium solide hinc posse refutari. Summa est emphasis in verbis: *figmentum cogitationum cordis.* Vbi quidem patet, quod de adfectibus ex corde surgentibus sit sermo; vnde & adnotante Seb. Munstero in *Gen. VIII, 21. tom. I Criticor. p. 149.* Ebraei pro voce חַמְדוֹת exponunt, quod est, concupiscentia, siue inclinatio, siue bona ea sit, siue mala: quin tamen de omnibus in genere cogitationibus, quae formantur in animo hominis, instituatur oratio,

tio,

tio, res etiam dubitationem non habet; nam quum omne figmentum cogitationum dicit sacra pagina, vniuersas cogitationes includit, vt in omnes cogitationes institui partitio possit, hoc sensu; minimam etiam partem cogitationum figmenti nomen merentium, esse tantummodo, vti homo a natura est, malam. Spectant ergo huc vtique notiones illae, quas deprehendimus in nostra intelligendi facultate; atque eas omnes pulcherrime hic describi dixeris. Dicuntur enim יצר מחשבת; vbi radix יצר significat praeter alia, aliquid mente concipere, comprehendere, imaginari, cogitare, animo destinare; praeterea significat & effigiare ac formare, fingere seu facere ex luto, sicuti solet figulus; vti quum *Ies. LXIV, 7.* dicitur; *Iam vero, o Iebouab, pater noster tu; nos lutum, tu figulus noster, יצרי עוֹמֵן מַנְיָנוּ מִיָּדָיִךָ* *opum manuum tuarum omnes nos.* Nempe vt figulus figuram da argillae; ita tu fingis facisque nos, quales vis: atque inde descendens יצירה opus aliquod fictum & formatum significat; idem quod πλάσμα Graecorum, quo nomine Graeci hoc nominis reddidere *Psal. CIII, 14. Ies. XXXIX, 16. Hab. II, 18.* Admodum itaque pulchre hoc ipso verbo designantur ideae illae, quas deformamus in animo nostro; vti enim figulus ex luto format imaginem; ita mens nostra, quae hic dicitur cor, format illas, quas de rebus habemus, imagines & notiones. Quidquid autem est horum, quae in cogitationibus nostris designamus, figmentorum id dicitur esse *malum tantum*: hoc est, non tantum nihil in illis, si excutiantur, reperiri boni spiritualis; sed cuncta esse deprauatissima, ad formam & normam legis diuinae minime quadrantia. Quae quum ita se habeant, duo inde sumimus contra

Male-

Malebranchium argumenta. Primum enim, quod cordi nostro ipsi, hoc est, menti, rationis capaci, adtribuitur fictio cogitationum, siue, ut nos loquimur efformatio conceptuum, satis indicatur, animo nostro eas adesse vires, ut ideas in se ipso varii generis producere possit; non aliter atque praestantissimus artifex artis suae subsidio pulcherrimas imagines, simulacra aliaque peritiae suae in effigiendo monumenta efficit; ut proinde non opus sit, a se abire hominem, habiturum ideas, quum eas cogitationibus suis depingere sibi ipsemet possit. Deinde quum scriptura adfirmet, omne figmentum cordis humani esse tantummodo malum, satis arguit, id ad Deum auctorem referri non posse, hominemque ipsum figmentorum suorum esse fontem & principium.

IX.

IX. Porro *est contra* Consideremus & alia. Verba sunt notabilissima Salomonis regis, ita *Cob. VII, 29.* inquit; *Vide, hoc quod inueni, quod fecerit Deus hominem rectum; ipsi autem quaesiverit cogitationes multas*: De homine loquitur sapientissimus regum, quem Deus in statu summae perfectionis, qualis in hominem cadere potest, primum creauerit; sed hominem ipsum, felicissima sua conditione minus contentum, suo iumento maximas sibi calamitates accersuisse, dum sibi quaesiverit *cogitationes multas*; vox *השכונת* qua in fontibus utitur scriptor sacer, ratiocinationem seu ratiocinium significat, excogitationes & scientias, quas quaesiverit sibi homo primus, & inuenit. Vbi quidem non refragamur solertissimi ingenii interpreti, Seb. Schmidtio, de *Imagine Dei p. 177.* & in *Cobeletb p. 277.* statuenti, agi hoc loco de peccato originali;

nali, quod ecclesiastes cogitationes multas nuncupet more Ebraeorum, qui per nomina actuum habitus aut potentias denominare solent; interim, vti ipse confitetur, certum pariter est, comprehendi sub hac voce simul causam & effectum, perinde vti v. 25 חִשְׁבֹּנָה *solertiam* vocat, seu prudentiam matrem cogitationum laudabilium. Ergo id ex hoc loco colligitur, quum homo primus a Deo in rectitudine fuerit conditus, eum tamen, hac minus contentum, quaesuisse, & quaerendo sibi adquisuisse deprauatissimam mentem, in innumeras cogitationes commentationesque animi progignendas, fouendas, alendasque praeue solertem. Quae ratione si interpretamur haec verba, sententia cum loco paullo antea adlato conueniunt, eademque nobis contra Malebranchium suppeditant argumenta.

X.

Quid vero illud est, quod summa Dei maiestas inquit Ies. LV, 8, 9: *Non enim cogitationes meae sunt cogitationes vestrae; nec viae meae, viae vestrae, dictum Iehouae; sed sicut alti sunt caeli prae terra, sic altae sunt viae meae prae viis vestris, & cogitationes meae prae cogitationibus vestris?* nonne clarissime indicat, vt infinita est inter essentiam diuinam & essentiam hominum distantia; ita inter cogitationes diuinas & cogitationes hominum infinitam esse disparitatem, vt hae in illarum comparisonem euehi minime possint; non ergo, vt Deus de rebus statuit, vt sub illius intellectum cadunt; ita & homo illas concipit, & easdem habet sua in mente informationes. Perstet ergo sententia Davidis, qui in haec verba admirabundus erumpit Psal. XCII, 6, 7: *Quam magna sunt opera tua, Iehouab? valde profundae sunt cogitationes*

X.

Est contra
Ies. LV,
8, 9.

C

tiones

tiones tuae. Vir stolidus non adgnoscit; & stultus non intelligit hoc.

XI.

XI, Est
contra te-
stimonia
noui testa-
menti

Rom. I,
21. VIII,
7. Col. I,
21. Eph.
IV, 17,

18.

Ex nouo instrumento non minus suppetunt nobis huius generis contra auctorem nostrum rationes gravissimae. De gentibus quum Paulus pronuntiet, quod *vanae factae sint in cogitationibus suis, & obscuratum sit insipiens cor eorum*, Rom. I, 21; quum adfirmet *φρόνημα τῆς σαρκός, sensum carnis*, quod caro sapit, quod cogitat, quod molitur, *esse inimicitiam erga Deum*, Rom. VIII, 7; quum dicitur, homines nondum conuersos *alienatos esse mente, διανοία, intelligendi facultate, in operibus malis*, Col. I, 21; quum de gentibus differat, quod *ambulauerint in vanitate mentis suae, obscurati mente, existentes ab alienati a vita Dei, propter ignorantiam, quae est in illis, per obdurationem cordis illorum*, Eph. IV, 17, 18; an adhuc in mentem alicui venire possit, gentiles, quaecumque cogitarunt, quae excogitarunt, quae animo circumtulerunt imagines, vt fuerunt inter paganos viri summo iudicii acumine praediti, meditationibus profundis, quarum magnam partem scriptis consignatam adhuc legimus, addicti, eas omnes ideas vidisse in Deo? Quum testetur denique, *sapientiam huius mundi, quae in concinnandis sine numero ideis perpetim est occupata, stultitiam apud Deum esse; vt scriptum est Iob. V, 13; qui deprehendit sapientes in stultitia ipsorum: & iterum; Dominus cognoscit cogitationes sapientum, quod sint vanae*, Psal. XCIV, 11; 1 Cor. III, 18, 19, 26; an credi possit, vanissimas nugas suas sapientes illos insipientes vidisse in Deo? eccui hoc Malebranchius sanam mentem habenti, facile persuadebit?

XII. Sed

XII.

Sed heus! sunt & Malebranchio in promptu sacrae scripturae testimonia, in quibus suae quaerit firmiter sententiae. Aequum vero est, ut & ad illa attendamus. Prouocat itaque *De inquirenda veritate lib. III cap. VI* primo loco ad Paulum, cuius haec sunt verba *I Cor. III, 5*; *Non quod idonei simus a nobis ipsis cogitare quid, tamquam ex nobis ipsis, sed quod idonei simus ex Deo est*; an igitur inde recte colligimus, omnia nos videre in Deo? de se sociisque suis in opere Dei vrgendo, & hominibus ad salutarem doctrinam conuertendis eo in loco agit apostolus, cui operi perficiendo se & alios per se fatetur minus esse idoneos. An enim facultates habebant homines ad spiritualia inepti, homines alios salutifero lumine caelestis veritatis perfundendi, voluntatemque eorum ad obedientiam fidei transferendi? Certe quidquid hic poterant, id a Deo habebant, *Dei cooperarii, I Cor. III, 9, qui cum Petro cooperabatur in apostolatu circumcisionis, & cum Paulo inter gentes Gal. II, 7. Non enim audebat Paulus loqui quid eorum, quae non operaretur Christus per ipsum, in obedientiam gentium verbo & opere, in potentia signorum & miraculorum, in virtute spiritus Dei, Rom. XV, 18, 19. Et iterum II Cor. XIII, 3; Quoniam documentum quaeritis loquentis in me Christi qui erga vos non infirmus est, sed potens in vobis.* Demus & hoc, ex hoc loco concludi posse, in rebus spiritualibus neminem aliquid ex se & suis viribus cum fructu posse cogitare vel efficere, ut *sine Christo non facere possumus quidquam, Io. XV, 5.* quid haec ad speculationes philosophicas? Et si ex Deo haberemus & meditandi vires, non statim inde efficere licet, in Deo nos videre, quae nobis insunt, cogitationes. Quum ergo

XII. Malebranchio ex scriptura nihil esse praesidi vindicatur loca I Cor. III, 5. Iac. I, 17.

Malebranchius dicit ulterius, Deum ipsum philosophos erudire & illuminare illis in cognitionibus, quas homines ex ingrato animi motu naturales adpellent, quamvis a caelo sint oriundae; *Deo illis manifestante Rom. I, 19*; non negamus quidem, infitam habere vim homines, qua Deum esse cognoscant, eamque vim esse a Deo; sed illas cognitiones adfirmamus eosdem possidere in se-ipsis, non videre in Deo; quum ipse apostolus verbis immediate praecedentibus dicat, quod *notum Dei manifestum sit in ipsis*. Est sane Deus proprie loquendo, quod vrget porro Malebranchius, lumen mentis & *pater luminum ex Iac. I, 17*; sed vt non vna ratione suum ille hominibus impertit lumen; ita & nihil obstat, quo minus pater sit luminum, lux prima, a qua lumen est, quodcumque extra illum est, & quo minus illuminare dici possit homines, si vel maxime id non per suam essentiam faciat, sed lumen producendo subordinatum, quod est perceptio mentis, ex rebus oblatis ortum trahens? Ceterum Iacobus illo in loco Deum ab impia nonnullorum imputatione vindicat, quasi ab ipso peccatum suam trahat originem; id vero ait hic apostolus, ex numero illorum esse, quae fieri non possunt, quum ille sit pater luminum; qui ergo peccatum, quod ad tenebras pertinet, ex eo esse possit? quod argumentum vti sane impietatem, quam diximus, repellit, ita pro Malebranchio nihil facit.

XIII.

XIII. *Pluribus* Sed & ad illud Dauidis prouocat *Psal. XCIV, 10: Qui docet hominem scientiam*. At idne ea statim ratione, quam sibi fingit Malebranchius, nulla interueniente humani intellectus operatione? *Deus dat nobis caelitus pluias, & tempora*

XIII. *Pluribus*
corrig. videri
dicantur
Psal. XCIV,
10. 10. 19.

tempora frugifera, implens cibo & laetitia corda nostra Actor. XIV, 17; nulline vero hic intercurrunt naturae & hominum actus & labores, facitque id Deus per seipsum? Docet Deus scientiam & per opera sua & actiones, docet, inquam, scientiam ea ratione, quam satis ipse regius psaltes eo in loco designat, quum inquit: nam qui castigat, vel erudit, gentes, num non corripiet? quasi dicere vellet; tanta vos cepit confidentia, ut speretis, eum, qui nationes integras suis erudit iudiciis atque corripit, vos ob scelerosa facta vestra non redarguere velle? Existimatisne, eum, qui scientiam & intelligentiam homines docuit, adeo, ut nulla fruantur rationis luce, nisi ab ipso communicata, qui & ipse conscientiae vim indidit, ut quid rectum sit, quid secus, cognoscere per vos possitis, conscientia vestra vel excusante vos vel condemnante, cordium vestrorum iniquitatem non persentiscere, non videre, non cognoscere? Denique addit & illud: Vno verbo; ipse lux vera est, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum, Io. I, 9. At si de salutari lumine, quo homines ad salutem perducuntur, id intelligamus, ut intelligendum esse ex structura & nexu verborum cum verbis antecedentibus euidenter adparet, quod pro benigna sua voluntate communicare vult omnibus Deus, qua specie his niti vult verbis, ut probet nos in Deo videre omnia, etiam in rebus naturalibus perferutandis nos detinentes?

XIV.

Sed propius cum Malebranchio congregiamur, urgeamusque eum pressius. Deum quum dicimus, designamus naturam omnium praestantissimam, quae tamen ita comprehendat perfectiones omnes, ut simplicissimum

C 3

XIV:

Male-
branchii
sententia
est contra
simplici-
tatem Dei

cissimum sit quidpiam, nec nisi mera sit essentia. Vti enim in rerum natura, quo quid simplicius, eo perfectius est; ita quod perfectissimum est, etiam simplicissimum esse oportet. Et si ex partibus Deus compositus esset, iam aliquid haberet se prius, adgnosceretque aliquem sui auctorem, quod de Deo, quem adgnosimus ens esse primum, cogitari non potest. Quomodo autem, quae Malebranchius de ideis sentit, cum simplicitate Dei cohaerent? Omnia comminiscitur nos videre in Deo; sed quid intelligit per omnia? omnes, inquit, de rebus omnibus ideas; *Ideas autem illas, quas Deus de rebus habuit, antequam conderetur mundus, non fuisse ab ipso diuersas; ac proinde omnes res conditas, eas etiam, quae quam maxime materiales & terrestres sunt, in Deo esse modo prorsus spirituali, quem non possumus capere, De inquirenda verit. lib. III cap. V.* Sed non quaeram hic, quomodo ista possint conciliari, aut quid significet, res materiales esse in Deo modo spirituali, hoc est, immateriali; quae multis se videbuntur mutuo interficere; id saltem vrgebo, comprehendi non posse, quomodo simplicitas essentiae diuinae continere in se possit varietatem realium entium, vt distincte eadem cognosci, & vnum ab altero essentia secerni possint; haecne est varietas aliqua constans varietate? Ideas realia esse dicit entia; quod si ita est, erunt & distincta realia entia, quum ille & adserat, esse ideas distinctas; esseque in Deo, in quo eas videmus. Sunt ergo actu res distinctae: quum alias distincte videre illas non possemus. Iam quaerimus, res illae a se inuicem distinctae, quae sunt in Deo, suntne partes aut modificationes Deitatis, aut in ipso comprehenduntur vt res in loco? Quodcumque

cumque adsumas, summa Dei & eminentissima simplicitas vacillabit.

XV.

Ain vero, Malebranchi, ideas omnes, quae sunt in mente humana, videri in Deo? Quid audio? Quas sibi non fingit quotidie animus chimaeras humanus, tot erroribus obnoxius? quot figmenta absurdissima non de se progignit, quot errores non errat? atque hos pingit, hos nouis ideis suffulcit, non minus erroneis, non minus a rei veritate abeuntibus? quas blasphemias, quas haereses, non procudit, quas inanissimas vanissimasque non fabricat imagines? an & istas a Deo formatas videt in Deo? quid vero si plures vna de re hallucinentur cogitationibus suis? an tot quoque diuersissimae de rebus iisdem ideae sint in Deo? An vero, quum animus humanus tot falsos sibi fingat conceptus, suorumque conceptuum sit auctor, minus ille idoneus erit, vt de rebus veras inueniat eliciatque ideas? quis non videt, Deum a Malebranchio statui receptaculum & causam deterrimarum opinionum, opinionumque & idearum secum inuicem colluctantium seseque tollentium? Quid de daemonum damnatorumque dicemus ideis? Quis neget vero, daemones, vt de iis nunc solummodo loquamur, infinitas habere ideas, nempe artes non minus subtilissimas, quam perniciosissimas hominibus, erga Deum blasphemias, & in se foedissimas? vnde istae ipsis? an & eiusmodi illis cum supremo ente est familiaritas, vt in eum penetrent suis cogitationibus, cogitataque sua in Deo ipso videant? Hoc si negat, concedat ergo menti, a concretionem materiae seiunctae, virtutem esse adeo fecun-

XV.

*Malebranchi
sententia
est contra
perfectio-
nes Dei.*

fecundam, ut picturas in se effigiare de rebus variis possit; sed eo ipso concedet, quod nos volumus, & magnum argumento suo praecipuo, quo aduersus nos pugnat, detrahet pondus.

XVI.

XVI.
Sententia
Malebranchii
ducere potest ad idololatriam, Spinosismum & atheismum.

Teramus hanc aristam amplius; quum plura adhuc ex Malebranchii doctrina, si quid iudicamus, consequantur reprobanda. Nam hoc errore qui tenetur, quam facile in longe periculosiores inde potest delabi. Ista ideae si videntur in Deo, pertinent utique, vel ex Malebranchii mente, ad essentiam diuinam, & ab essentia diuina distinctae non sunt, atque adeo, quae essentiae diuinae conueniunt, de iisdem quoque pronuntiare conuenit, quid ni illae ergo ut diuinum numen colantur? Oportet enim nos ita erga illas animo esse adfectos, & ita nos gerere, ut erga ea nos habemus, quae ad ipsam essentiam spectant diuinam. Quam speciosum vero hinc idololatriae sumetur fundamentum, quam facilis in idololatriam inde prolapsio? Quinimmo quam facilis in flagitiosum Benedicti Spinosa commentum, atque adeo in atheismum ipsum dabitur ex hoc dogmate descensus? Si enim negetur, menti humanae hanc adesse facultatem, ut formis eiusmodi, quales sunt ideae, producendis & coniungendis par sit, & si Deus in homine ista peragat, modis infinitis sese varians, quid obstat, quo minus inde aliquis concludat, creaturas ipsas, homines ratiocinantes, Deum esse, ita variis modis dispositum? Nonne enim qui antea, ex Malebranchii opinione, certissimum se esse credebat, esse Deum; quum deinde leuiter ad rem attendens deprehendit, principium proximum actus & ideas

& ideas producens non Deum, sed suam esse rationem, derepente iam deturbatum se sentiet a summo illo culmine praetensi alicuius cum Deo commercii? & nonne iam adeo periculo exponetur evidentissimo, quo denique in imam atheismi praecipitetur abyssum? Nam quia animaduertit, id, quod Deum esse alii iactauerant, non Deum, sed suam esse rationem, quid procliuius est, quam ulterius sibi persuadere, quidquid Deo adscribitur, non nisi naturam esse, Deumque & naturam rem esse eandem, qua in re tam misere pessum se dedit Spinosæ.

XVII.

In primis si circa cetera res esset in expedito, manifestissimum est, inuentum hoc Malebranchianum aperte desinere in enthusiasum. Sed enthusiasum Malebranchio impingentibus non opus erit nobis circa vocem ipsam & eius significationes consistere, id quod & criticis atque grammaticis permittimus, & saepe ab his & aliis praestitum meminimus; de re ipsa notamus cum Henr. Moro in *a Discourse of enthusiasm sect. II.* non recte intelligi, quid sit enthusiasmus, nisi definiatur prius, quid sit diuina inspiratio; nec enim enthusiasmum aliud esse, quam falsam persuasionem, se esse inspiratum; inspiratum ergo esse dicit nihil esse aliud, quam modo inusitato & extra ordinem a potentia spiritus Dei moueri, vt agat homo, loquatur & sentiat, quod sanctum, iustum & verum est; vnde intelligi ait, enthusiasmum consistere in plena sed falsa persuasione, se esse inspiratum. Iam quam prope abest ab hac persuasionem, qui omnino credit, se omnia videre in Deo? atque eiusmodi, quum in frequenti est exer-

D

cicio

XVII.

Male-
branchii
sententia
aperte
enthusia-
smum fo-
uet. ●

citio ratiocinationum, quid obstet, quo minus imaginetur sibi, se hoc ipso cum Deo familiariter agere, cum ipso per rationem habere societatem quamdam spirituales, se eum videre, eum se consulere; Deum autem vicissim suis eum responsis dignari, sermones cum illo sociare, & ad colloquium eum admittere; quum ista haud cunctanter doceat ipse Malebranchius *traité de la Morale chapit. I*; unde & porro meditationes suas pro responsis & colloquiis diuinis commendat aliis. Quod ne putet aliquis inanes metus esse & suspiciones, ad ipsum iterum prouocamus Malebranchium, qui quum meditationes metaphysicas edere vellet, fingit, se colloquia habere cum Iesu, qui ipsum his de rebus abstrusissimis, de quibus in metaphysica agi solet, sermone instituit. Quam vero periculosum hoc religioni christianae, quam minus reuerenter erga Iesum, Deum benedictum in saecula? Quid enim? quum Malebranchius Christo adtribuit sermones, in quibus de subtilitatibus differit metaphysicis, atque in iisdem ea eundem proferre facit, quae a veritate deflectunt, & validis rationibus reuinci erroris possunt, an Malebranchii secuti rationes Iesum credemus falsa docuisse? Certe hoc pacto facile esset, persuadere hominibus, quicquid velis, si modo persuaseris ipsis, te ex colloquiis, cum sapientia increata habitis, hausta proponere; nec erit facile, qui contra verbum diuinum ipsum, vt rationem vocat Malebranchius, resistere & repugnare audeat? Quod vero ad voluntatem Dei auctor noster prouocat, qui, si velit, nobis reuelare posset omnia, in eo frustra est, & longe validius munitiusque, quod adserit, debuisset confirmare, si aliquid conse-

confe-

consequi voluisset. Quod enim voluntatis ille huius diuinæ habet argumentum? quam Deus eius dedit nobis significationem? Probandum erat, Deum in se nobis monstrare velle omnia? at ubi eius rei ullum habetur vestigium? Nam quæ Malebranchius adlegat, si recte putemus, rem minime omnium conficiunt. Ait enim, si statuamus, præter Deum nullam vim esse & potentiam agendi, magis in aperto fore positum, nos dependere plenissime a Deo, hominique omnem sic superbiendi & efferendi se eripi materiam. Anne vero neganda sunt homini, quæ ipsi adsignauit Deus donatione munifica, vt tanto magis a Deo se dependere adgnoscat? Anne & homo a Deo habet, quod sit aliquid, & aliquid quidem, quod a Deo existente sit res alia, longum diuersa; an vero propterea Deus minus est ens summum & efficax, solusque, qui honore adficiatur, adgnosendus? Anne & a Deo libertatem ille in dotem accepit suam; cur non & eam negemus homini, vt magis a Deo dependere dicatur? Siccine ergo minus a Deo dependebit homo, si vis eius animi, qua Deum & creaturas cognoscere debet, extra diuinam statuatur esse essentiam? Siccine ergo facultates non alia ratione a Deo dependent, quam quod ipsam Dei essentiam contingant, percipiantque? Quæ vero est illa hominis superbia, adgnoscere, nos ea a Deo habere, quæ illi in nos conferre placuit? Quæ illa est humilitas, negare, quæ Deus in nos erogauit, quæque ab ipso accepimus? Adiungere possemus plura, nisi ista censeremus sufficere, vt ostendamus, ingeniosissimum inquirendæ veritatis artificem a veritate ipsa in primo veluti limine aberrasse.

Abfit

Abfit tamen, vt, quae vrgemus absurda, auctoris ipsam quoque clarissimi mentem esse, & sic serio eum statuerere; aut vt omnes, qui auctorem sequuntur, in ista absurda incidere existimemus; in ea tamen praecipitia ex initiis, ab ipso positis, deduci posse, vnde in illas delabantur, certissimi sumus.

AD

PRAESTANTISSIMUM IUVENEM,
IO. ADAMVM FICKVVEILERVM,
ADLOCUTIO

IO. GEORGII PRITII, D.
PRAESIDIS.

FICKVVEILERE, domus gratissima portio nostrae,
Et merito nobis semper amande tuo;
Quem niuei decorant mores, doctrinaque praestans,
Quem pietas gratum non temerata facit;
Surge piis ausis, ac toto pectore feruens
Pro summi caussa bella capesse Dei.
Cernin' vt insignem tradens MALEBRANCHIUS artem,
Dum pia praetexit, perniciofa docet.
Adpropera, falsumque tuis subuerte cateruis;
Adspicis, in medio iam tibi palma iacet.
Es praesto, quantumque potes tua concutis arma,
Nec nulla ingentem proruis arte virum,
Nimirum facilis sancto est victoria vero,
Dum se, dumque suum monstrat adesse decus.
Perge igitur caute studiis incumbere rectis;
Ingenio nimium fidere, saepe nocet.
Quondam etiam Gallus, nimium sibi fesus, ineptit,
Quondam etiam sapiens desipuisse potest.

☉(o)☉

Coll. diss. A. 91, max. 13